

PROBLEMA  
BOSQUIERIANVM,  
SEV

*QVAESTIO PERPLEXA,*

PILATVS  
QVIS ET CVIAS,  
AVTORE

R. P. F. Philippo Bosquero Caesarimontano,  
Minorita obseruantino, Pro-  
uinciæ Flandriæ.

*Permissu Superiorum.*



COLONIÆ AGRIPPINÆ,  
Ex officina CRITHIANA sub signo Galli,  
Apud PETRVM HENNINGIVM.

ANNO M. DC. XXIV.





4 *Problema Bosquierianum*  
Hinc filij multi patribus abdicati.  
I. Ioann. 2. *Ex nobis prodierunt, sed non e-*  
*rant ex nobis.*

Et populi ex leges audiêre, ab ipso Deo:  
*Vos non populus meus, &c.* Osee 1.

Aquila quoque ipsa pullum nido extur-

bat, cuius oculi ad Solem caligant.

Adoptantur contra, pro suis, alieni, si bo-

næ notæ.  
Homerum illum iam mortuum, quot vr-  
bes certarim sibi adrogauêre, quem viuum,  
cæcum; egentem, stipem mendicantem, vix  
quisquam benè nôrat? Tantum potuit Ilias  
vna, etiã Alexandro Magno ita in delicijs,  
vt arcã superbissimã includeret, gestaret  
semper, eique dormiens incubaret.

*Cicero pro Archiã videatur.*

A. Gell. lib. noct. c. 11. *Ἐπτα πόλεις διετίσθητι*  
*περὶ ῥίζαν Ὀμηρῆ*  
*σμύρνα, ῥόδος, κολοφών, σάλαμιν, Ἴος, ἀργος,*  
*Ἀθῆναι, id est,*

Septem vrbes certant, de stirpe insignis  
Homeri,

*Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Ius,*  
*Argos, Athene.*

Igitur, scire interest Pilati orbem atque  
vrbem, rem abstrusam valde.

PILA-

*Pilatus quis & cuius.*

5

### PILATI PATRIA

Pilatus (historiã quadam teste) spurius  
fuit, seu nothus Tito Rege natus. *Ex F. Ioan-*  
*ne Balbo Iauensi Dominicano: qui ante annos*  
*plus minus quadringentos vixit, in Catholico.*

*E. Claudius à Rotã S. Theol. prof. ei usdem ord.*  
*in Legendã Sanctorum à se emendatã, etiã*  
fatetur adulterinum, & ex inconcesso toro  
natum quidem, sed patrem eius vocat Tyrũ  
*cap. seu tract. si. qui est de Pass. Domini. §. g.*

Quid boni speres ab hoc ortu?

Gallorum prouerbio dicitur, *numquam bo-*  
*ni quidquam Nothum vllum fecisse*, quod etsi  
vniuersim falsum est, tamen frequenter ve-  
rum.

*A Nazareth potest a liquid boni esse? à No-*  
*tho, à Spurio, & velut apatores?*

*Mali corui, malum ouum.*

*Omnia principijs semper inesse solent.*

A vitijs natalium, frequenter & vitia mo-  
rum, vel traducta ab improbis parentibus,  
vel animo, ob pudorem generis infecti, hu-  
mi repente, & velut desperante.

Euripid. in Hippolyto *Non duritate tantã*  
*est quisquam pectoris,*

*Obnoxio qui non animo & seruo fuit.*

*Culpæ patris matrisue conscius sibi. Itã fit, vt*  
*Rabies parentum dur et, & longum nefas*

A 3

Eat



*Eat in nepotes, nec vacet cuiquam vetus,  
Odisse crimen, semper oriatur novum.  
Nec unum in vno. Senec. in Thyeste act. 1.  
Et succedat ano deterior nepos,  
Et maior placeat culpa minoribus. ibidem.*

Patriâ, quibusdam {  
1. Pontus, seu Ponticus;  
2. Gallus,  
3. Romanus.

\* i. PONTIUS, seu Ponticus.

Theophylact. in c. 27. Matth. *Illi autem Ie-  
sum & ligant, & adducunt ad Pilatum Præ-  
sidentem, qui à Ponto erat, Romanis autem tribu-  
tarius, & ab eis in Iudæam Præses missus.*

Lorinus negat, quòd Pontios plures Ro-  
mano reperire sit in Onomastico hist. Ro-  
manæ Ioannis Glandorpij, inquit. Miror ta-  
men Lorinum de Theophylacto loqui tam  
inurbanè, ut dicat eum suprâ ineptè dicere.  
*Lorinus in Acta Apost. c. 3. vers. 13. & 14.*

\* ii. GALLVS.

*Didacus Stella in Luc. 23. ait aliquibus pu-  
tari Lugdunensem.*

R. P. Cornel. Mussus ser. de Pass. p. 4. *Eth-  
nicus alienæ regionis, patria Gallus, civitate Ro-  
manus.*

*Ioan. Ramisio Textori in Off. tit. Qui sibi  
mortem consciverunt. Fuit Patria Lugdunen-  
sis, ac mortem sibi intulit. Autor illi Greg.  
Turonensis.*

Lori-

Lorinus mecum negat: *Non Gallus, inquit;  
meo iudicio fuit, ut quosdam velle morui.* Lori-  
nus in Acta Apost. c. 3. ver. 13. & 14. qui tamè,  
post primam Theatri mei Patientiæ scrip-  
psit.

*Autor Rosa aurea refert Nic. Lyrano in  
Luc. 3. etiam videri Lugduni in Burgundiâ  
natum, dictumque nomine proprio Pontium,  
cognomento Pilatum; atque illum ita nunc-  
cupatum, ex duobus probari à Lyrano; pri-  
mò, quòd in more sit propria nomina præ-  
poni: secundò, quòd Pontius, pro nomine  
proprio, valdè vsuratum in Burgundiâ, cui-  
tem Pilatum & Lugdunensem iactant. Cen-  
suram huius testimonij râtisper differamus.*

A Burgundico ergò nomine, hominem  
fuisse Burgundum, videri possit.

Cæterum apud Iosephum, Suidam, Nice-  
phorum, Adonem, & cæteros classicos auto-  
res multa de Pilato quidem eiusque actis, re-  
perio, de ortu verò ac patriâ eius vix aliquid  
omniò.

Itaque Neoterici plerique mihi ac grega-  
rij quandoque citandi fuère.

\* iij. ROMANVS, aut cuiuscunque, saltem  
Italus.

M. Hier. Vidâ Albæ Episc. Christian. lib. 2.  
in fine,

*Illo, Iudæam frenabat, tempore, missus  
Cæsaris imperio Tyberi; Pilatus, opimam,  
Pontius insigni Romanus origine gentis.*

Audis Romanum? Nisi respondeas, illum  
etiã Romanum dici, qui alibi natus, ciui-  
tate tamen Rom. sit donatus.

Romanum quoque eum, aut Italum fuis-  
se, è re & gloriã Christi est, qui nunc Regni,  
& Ecclesiæ suæ sedem, illic habeat, vnde pro-  
diit, qui Ecclesiæ caput, j. Christum impug-  
nauit.

*Bartassius lib. I. hebd. I. in fine*, loquens de  
Iudicio ultimo, Pilatum Iudicem Italum vo-  
cat:

*--- O toy, qui d' autre fois*

*D' un Iuge Italien as redoubté la voix &c.*  
id est, interprete Gabriele Lerneã nobili  
Volcã: *O tu, olim saue quem Prætor verberare  
lingua.*

*Terruit Aufonius, da cum tua buccina signum  
AT hule gelidã septemflui ad ostia Nili,  
Agelidi dabit usque iugis Atlantis ad Indos,  
Promũ expergiscens maturo funere mundum  
Patrono te, Dine potens, & Iudice fidam!*

Audis, Gallicè dici Italum, Latinè autem  
Aufonium quod idem est?

Pantaleon Theueninus Lotharingus,  
commentarijs in hunc Bartassij Gallici lo-  
cum,

cum, sic ait Gallicè, vti verto; *A Pilato, quem  
quidam natum Lugduni atuns; alij ex quadam  
familiã Italia, & Pontio Irenæo Samnitium  
duce, qui Romanos vicit ad Furcas, siue Fauces  
Gaudinas.*

	}	1. Præfecturæ loco, seu Pro- uincia,
* ROMANVM,		2. Ordine Iudicij,
aut Italum, po-		3. Genere supplicij,
tiũs quàm Gal-		4. Titulo crucis trilingui,
lum suspicor, ex		5. Exily loco,
		6. Nomine, seu agnomine.

\* j. PRAEFECTURÆ LOCO, seu Pro-  
uincia, Iudæã ac Hierosolymis.

Luc. 3. *Procurante Pontio Pilato Iudæam,*  
nomine Imp. Rom.

Ierosolyma autem iam recens à Pompeio  
victa: & Gallia recentius, à Iulio Cæsare: id-  
eoque minus adparens, à Romanis, creditos  
recenter victos, recenter victo cum suis.

	}	1. Romanorum prudentia,
* DISSVA-		2. Gallorum indoles.
DET ità credi		3. Iudeorum libertas.

\* I. ROMANORVM PRVDENTIA, toti  
orbi cantata.

Sed imprudentiæ sit, victum victo credi,

A 5 à vi-

à victore, ne victus cum victo pacifcens, victoris iugum vterque excutiat:

Victos verò alicui vni è victoribus, credi, magis adparens,

Lupus Lupo malè à Venatore committatur.

Caletum recens Alberti Austriaci auspicijs, Laburloto adiutore victum, non commissum Gallorum cuiquam, sed Hispano 1596. 14. Maij.

Ierosolymam igitur victam Romano credi, prudentiæ fuit, non Gallo, etiàm tum victo.

\* 2. GALLORVM æui illius indoles, quam fatiam olim narrant Romani, ex Brenno Gallorum Duce, Camilli temporibus, & recenter Iulij Cæsaris æuo.

Prou. *Quid nisi victis dolor?* Brenni vox insolens.

Sed recenter victos, non insolenter, haberi oportet.

Et è re victoris est, victos credi optimæ fidei hominibus. Ergò.

\* 3. IVDÆORVM LIBERTAS, qui iugè adeò impatientes, vt aliquandò dixerint: *Nemini seruiuimus. unquam:* & susceptum alias iugum sæpè excusserint.

Quapropter, Prorex eò mitti debuit manus,

manus, qui adliceret atque inescarèt, fidissimus Imperio, nullâque parte, in liberationem victorum procliuis.

Is Romanus, qui nôrat *pacisq. imponere leges:*

*Parcere subiectis, & debellare superbos.* 6. Æneid.

\* ij. ORDINE IVDICII, germanè Romano.

Romanus, neminem, ad gratiam cuiusquam, perire dedit: præsentibus exhibet reo accusatores, & defensionem locum.

Nam, vt rectè Hispanorum prouerbio dicitur, *Nunquam erit aut fiet, vt absentes iusti appareant.* (Nunca los ausentes se hallaron iustos.)

Et iterum: *Absentium nemo sine culpa: presentium nullus sine aliquâ excusatione.* (Ni absente sine culpa, ni præsentibus sine defensione:) vt prorsus iustissimè Nemorensis Castrensis indicaret, non se velle damnari, nisi vocaretur, videretur, audiretur.

Act. 25. Vox Festi, apud Regem Agrippam: *Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, prius quam is qui accusatur, presentes habeat accusatores, locumq. defendendi accipiat ad abluenda crimina.*

O quis

O quis nobis reuocet hanc iustissimam consuetudinem ! Nemorensis Castrensem parum admodum reformidaret, opinor &c.

Sed Hæc Pilatus omnia, grauitate Romana. Ergò.

\* iij. **GENERE SUPPLICII**, Cruce: quæ Romanis valde in vsu: & verberibus ante crucifixionem, more Romano, vt mox dicemus.

\* iv. **TITULO CRVCIS** trilingui, Hebræo Græco, Latino, non etiam Gallico.

\* i. **HEBRAEVM** fecit, gratiâ gentis, cui imperitabat, è quâ cruciarius, è quâ frequentissimus spectator, cui ab hoc titulo intellecto illustre, (vt putabat) paradeigma.

\* 2. **GRAECVM**, ratione aduenarum.

\* 3. **LATINVM**, amore Latij, hoc est, patriæ suæ è cuius gloria est, idioma suum celebrari, & fortè reuerentia Imperij Latini.

Vice autem Græci tituli, cuius ponendi causâ satis friuola, Gallicum potiùs positurus fuerat Pilatus, si Gallus fuisset, amore suæ gentis. Ergò.

\* v. **EXILII LOCO**,  
aut

\* i. **LVGDVNI**,

{ 1. *Lugduni Gallie,*  
2. *Viennæ Gallie.*

Massæus

Massæus lib. 8. chronic. anno à Christo nato 39, *Pilatus*, inquit, *impleto decennio procuratoris suæ Romam reuocatus, cum adhuc esset in viâ, Tiberium obÿsse cognouit, à cuius successore Lugdunum Gallie, exilio relegatur. Vbi quadriennio circiter vixit inglorius, deinde propria se manu interfecit.*

*D. Hier. in c. 2. Matth.*

*B. Antonius 1. p. hist. tit. 6. cap. 20. §. 2.*

\* 2. **VIENNAE** Gallie.

*Cassiod. in Chronico.*

Ado Viennensis, Episc. loci in Chroni. *Pilatus*, ait, *qui sententiam dampnationis in Christum dixerat, & ipse perpetuo exilio Viennæ includitur, tantisq; ibi irrogante Caio languoribus coarctatus est, vt sua se transuerberans manu, multorum malorum compendium, mortis celeritate quaeserit.*

Viennæ autem in Gallijs mortuum, post alios auctor *Baronius tom. 1. Annal. ad annum Christi 41.*

Etsi enim tradit Gerson, Pilatum fuisse in Pontum relegatum (quò & Ouidius aliquândò) ibique barbaris Ponti habitatoribus Præfidem datum: à quorum subiugatione (quod certè esse potuit, sed antè quam Iudææ præficeret, aut exilio illuc damnatus esset: nam quibus hoc viribus fretus homo exul, vt suis ira-

iratus? ) Pontij cognomentum retulerit: communis tamen iactatur & scribitur eum in Galliâ exulâsse seu Viennæ, seu Lugduni.

Iam, si Gallia Pilati patria; quale hoc exilium, relegari in patriam, vel Viennam (secundum Adonem & Cassiodorum) vel Lugdunum (secundum Mussæum) vrbes ambas cæli, ac soli sui?

*Reverti, unde veneris, quid grane est?* Senec. lib. de tranquillit. vitæ c. 11.

Utrumne melius homini esse possit, quam in utero matris, i. in patriâ.

NEMO (scripsit etiam, sed post primam Theatri mei editionem Lorinus) *in propriâ patriâ exulare, quamvis ab fuerit inde diu, iubetur.* Lorinus in Acta Apost. c. 3. vers. 13. & 4.

Si Gallus fuit, aliò fuit relegandus, vel in Pontum, vel ad Garamantas & Indos.

Romano autem, à Româ procul in Gallijs, seu Viennæ, seu Lugduni, exulare, molestius esse potuit.

Non igitur Gallus Pilatus.

\* V. NOMINE seu cognomento.

Pilati enim Pontijq; dictiones, mihi Romanæ monetæ, ac moris, videntur.

Confirmat idem Lorinus ibid.

Ab euentis, aut formâ, formare cognomina, Romanum est, Sic

Sic Naso, à nasi magnitudine. Scipionum gens Patritia, à Scipione Cornelio, qui teste Macrobio patrem cæcum pro baculo regibat, quem scipionem Grammatici appellant (quo nomine & Tobias iunior potuit appellari, speratus scilicet baculus senectutis utriusque parentis: ) Q. Mutius cognominatus Scauola, quòd ex quo in Regis Porfenæ castris dextram exussisset, eius vice sinistra vteretur, *σχαίον* enim Græci sinistram vocant, quasi Gallicè diceret *Capit aine Gaucher*: Horatius Cocles, ab oculo offenso, ut Annibal Dux Luscius, à pari casu, vel dum Alpes secat, vel dum frigoribus intolerâdis vexatur &c. Plato, à latis, planisque humeris, Athenis;

Cicero, non ille orator, primus ita dictus, quòd in extremo naso fissuram obscuram, qualis est in cicere, haberet. *Plutarch. tom. 3. vit. in Cic.*

PILA autem apud Latinos, non vnus generis ac significati.

Vndè versus nescio cuius; *Pes pontis, pila: pila, ludus: pila, taberna:*

*Pila terit pulvis: imbellis pila feruntur*

*Pila, mōrtarium Latinis;*

*Et pila globulus ludo aptus;*

*Et pilum Varroni lib. 4. linguæ Lat. est, quo far pinsunt;*

Et



Et (quod aptius instituto nostro) *Pilum* eisdem Varroni ibid. genus telii Romani (à quo pilani, qui pilis pugnabant) cuius hastile, Vegetij sensu, fuit pedum quinque semissis. Sulpitij autem opinione trium dumtaxat pedum; & ferrum trigonali figurâ vtriusque præfixum, pondere nouem vnciarum, telum lanceæ non absimile.

Lucan. i. Pharsal. --- *infestusq; obuia signis.  
Signa, pares aquilas, & pila mirantia pilis.*

*Et pila*, opus informe, ac moles arcendis aquis, ad nauium stationem seu stabulationem tutiorem, de quo Vitruuius lib. 5.

A *pilâ* mortario, vel à *pilâ* lusoriâ, vel à *pilâ* tutrice nauium; vel à *pilo*, quo farræ tunduntur, vel à *pilo* telo Romano, eoque maxime, quis veteri Pilatum Romanè dictum, quàm Pilanum, opinari?

\* *PILATVS* inquam à  
pilo aut pilâ, vel ab

1. *Impressio* re,

2. *Peritiâ*,

3. *Insignibus*.

\* *IMPRESSIONE*, quòd scilicet aut pili, aut pilæ quouis significatu, adnata illius aut faciei, aut dorso, aut alibi, figura (vt adolet) abortu primo, vt Pilatus dictus sit, quasi pilo aut pilâ signatus.

\* 2. *PE-*

\* 2. *PERITIA*, vel quòd dexterrimè pilo pugnaret, aut in militiâ miens, pilo comuniùs armaretur, vnde fit Pilatus etiâ Martiali, aut Pilanus Varroni lib. 4. linguæ Latinæ.

Martial. lib. 10. epigram. 43. edit. Frusij. *Et pilata redit, iamq; subitq; cohors.*

Vel fortè quòd pilæ ludus, illi frequens in manu & vsu, vnde & euaserit pilæ mittendæ excipiendæq; peritissimus.

\* 3. *INSIGNIBVS*, vel quòd *pilas* mortarias, vel *pilas* lusorias vel *pila* tudentia, vel *pila* tela Romana, duo aut tria, pro insignibus gestaret, vt nunc nobilissima Medicorum familia certum numerum pilularum, vnde & Pileati dici possent; Reges Gallorû tria lilia, vnde & liliati possint appellari; vt alij alia pro arbitrio, cum incipiunt accipere ius Imaginis.

Certè nascente Româ, lancea aut pilum dabatur ei, qui fortiter in prælio se gessisset. *Plutarch. tom. 1. vit. in Romulo.*

Pilatus quasi pilifer  $\pi\lambda\alpha\phi\acute{o}\rho\epsilon\varsigma$ .

Quidni à *pilâ* mortario, aut *pilo*, quo facti sunt? Nam scribunt aliqui, maternum eius auum molitorè fuisse.

Etiâ à pilis, id est, crinibus (vnde pilandi verbum, pro aut pilis aucto, aut pilis ipolatio)

B

liato)

liato) Pilatum dictum, si quis opinetur, vix refellam.

Pilandi verbum, utroque sensu, mihi lectum.

Primo sensu, apud Accium: *Tunc primum pilabant genere.*

Altero, apud Martialem: *Quod pectus, quod crura pilas, &c.*

Forfitan enim Pontio Pilati cognomen tum adtributum, quod bene pilatus aut pilosus toto corpore ac vultu esset, ut quondam Elias & Esau, dicti viri pilosi; Gen. 27. & 4. Reg. 1. & pilosi illi horridi, de quibus Isai. c. 13. & 34. vel per antiphrasin, quod caluus esset ac depilis aut naturâ, aut morbo, vel aduersorum tolerantiam, aut casu quolibet in bello, depilatus.

Neque, si quis putet, Pilatum pro Pileato, à pileo, ut galeatus à galeâ, dictum, idcirco illum in ius vocem.

Pileati certè serui dicti qui manumittentur.

Paulus in Amphit. *Quod utinam ille faxit Iupiter, ut ego hodie, raso capite caluus, capiam pileum,* id est, manumittar, liber fiam.

Epitome Sexti, Aurelij Victoris, de Nerone. *Ceterum ad eò cuncta Provincia, omnisq; Roma, interitu eius exultavit, ut plebs induta pileis*

*pileis manumissorum, tanquam seuo exerita Domino, triumpharet.*

Linus lib. 24. *Postero die, serui ad pileum vocati, & carcere vincti emissi,* id est, utriusque redditi suæ libertati.

Lacones quoque pileati pugnare solebant.

Pilatus igitur, quod fortè pileo crebrius caput tegere, libertatis signo, gauderet, aut semper pileatus loqueretur seu fastu, seu rusticitate, nam filium molitoris, vult quidam ipsum fuisse; aut pugnans Laconizaret, id est, pileatus esset, dictus est Pileatus fortassis, & paulatim pereunte vocali e, pro Pileato, Pilatus scribi coepit.

De origine nominis Capetorum, ut Hugonis, Roberti &c. in Galliâ, memini alicubi apud ipsorum Historicos legisse quidpiam non dissimile; primum scilicet Capetorum inde habuisse cognomen, quod ei volupe esset amicorum aut familiariorum capita per ludum detegere.

Origines ergo istæ omnes vocis Pilati, & ritus quos dixi, Romani omnes magis, quam Gallici, faciunt ut ipsū Gallū fuisse vix suspicer.

\* CAETERVM: tot bonarum vnius vocis originum, illæ mihi optimæ quæ Pilatū aut à pilo Romano deducunt, aut *pilo, pilaq; pi-*

storijs, aut *pilâ*, nauticâ, aut *pileo*, quorum omnium prima longa.

Nam, Pilatus, primâ longâ mihi sæpiùs lectum.

Sedulius lib. 4. Paschalis carmini c. 12. *Hec facinus Pilate tuum, &c.*

Hieron. Vida lib. 2. Christ. --- *Iudæam frénabat, tempore, missus*

*Cæsaris imperio Tiberi, Pilatus opimam, &c.*

Pilæ luforiæ verò, ac pili, j. capilli, primæ breuès.

Sed risi, legens, Pilatum dictum à Pilâ muliere, ex quâ Spurius hic Iudex natus creditur, & ab Ato quodam molitore, patre mulieris illius, coalescente in vnicam vtrâque dictione, vt ex Pilâ & Ato, esset Pilatus.

*Catholicon* (nescio quâ historia atore) id habet, & Autor aureæ Rosæ serm. Sabbati post Dom. 3. *Aduentus, à quibus si quis hic dissentiat, non ideo minus Catholicus.*

Igitur Gallum Pilatum cùm non inficer, ab his causis?

\* SED AIS: Liranus vester (vt, iam antè est dictum) Pontios crebros in Burgundia esse refert: ergo Burgundus ille, quòd illi Pontij nomen.

\* RESP.

\* j. CENSURA, quam distuli, nunc opus.

Aut

Aut Rosæ Autor malè citat, aut Lyranus bis in Luc. 3, commentatus, aut iam mutilata hic sunt nostra exemplaria.

Nam in nostrâ Lyrani éditione Luc. 3, nihil tale.

\* ij. SED ET Pontij etiam Romani non pauci, & aliarum gentium plerique.

Eq. Romanus erat Pontius Aufidianus, qui resciscens Filiam à Fannio Saturnino pædagogico corruptam, vtrumque morte puniuit. *V. Alex. Max. lib. 6. c. 1.*

*V. Alex. Max. lib. 8. c. 7.* Pontius Lupus Eq. Rom. cæcus caussidicus.

*Idem lib. 6. c. 1.* Et Romanus, is Pontius Cæturio, qui emori maluit, quam è Cæsariano, fieri Pompeianus.

APVD CORNEL. TACIT. Pontia quoque memoratur mulier Romana sanè castissima, quæ scilicet interfici maluit, quam, cum Octauio Trib. plebis, adulterio scelerari, & si promissis, & lenocinijs multis verborum vrgeretur.

Etiam ipsi Samnites, Pontios suos habuerunt.

*Cicer. lib. 2. Off. C.* Pontij Samnitis meminit, optantis in ea se tempora seruatum esse, quibus Roma auri amore priùs capta, à se postea capi posset.

B 3

Et

Et Carthag<sup>o</sup> Pontium illum præstantissimum Diaconum habuit, scriptorem vitæ D. Cypriani Ep. Carthaginienfis.

\* iij. DENIQUE: cum Pontius deriuatum videatur, vel à Ponto, vel à Pontia, vel à Pontijs, vel à Pontibus: apparet, tot gentes Pontios habere posse, quot sunt vsæ, pontibus: aut sunt in Ponto, aut in Pontijs nata, aut quâquâ causa, ex primitiuis illis, Pontiorum nomina deriuare possunt.

Nam, non nullus Scriptor est, qui putet Pilatum, à Pontio Insula Cretæ vicina, dictum Pontium, à sagacitate qua sit illic ipse vsus.

Cum non à Ponto Romanis, illius virtute subiugato: Suspicionem eius mihi creat M. S. ex Annalibus Allobrogum, quod mox producam.

Et Gerson ipse Christianissimus sanè & prudentissimus Doctor, tradit, Pilatum fuisse relegatum in Pontum, & barbaris Pontii habitatoribus datum Præsidem, à quorum subiugatione Pontij cognomentum retulerit.

Est Pontia, Insula Tyrrheni maris, non longè à Palmaria, in sinu Caietano, in qua turtures ac coturnices, cum ad Italiam veniunt, prima volatura, requiescendi causa, paucos

paucos dies morantur, *Plin. lib. 3. cap. 6. Varro, Ptol. lib. c. 1.*

Ab his insulis, quis neget, dici posse Pontios?

Est & Pontus, regio Asiæ minoris, à Pontio Rege sic cognominata, Medæ crudelitatis & herbis maleficis nota.

Est & Pontus, mare quoddam, & pars etiam maris, ad Constantinopolim.

Est & Pontus, Scythiæ fluuius, in quo thracius lapis inuenitur, qui aqua accenditur, oleoque restinguitur, *Dioscoridi lib. 5. c. 93.*

Etiàm ab ijs locis, Pontij esse possunt, vel à suo inde orto, vel ab illic clarè gestis rebus, Pontij inquam, quasi Pontici, aut Pontani.

\* ET, CUR non ibi Pontij, vbi & pontes sunt?

Si à fabis Fabius, à Montibus Montius: cum non à ponte, vel erecto, vel propugnato, vel expugnato, vel aliàs, dicatur & Pontius?

Horatium Coclitem, pontis Sublicij propugnatorem, si vocet quis Pontium, erret?

Ibi igitur Pontij esse possunt, vbi pontes, vnde dicantur.

Itaque, Burgundum Pilatum dicere, quia dictus

dictus Pontius nomine illic vsitato, non satis firmum.

*Non erat ex nobis.*

*Dij salem terris auertite pestem.*

\* PRAETEREA: ne Gallum fateamur, et si Lugdunensem quidam historici dicant: mouere etiam potest, quod & in Germania, vrbes eiusdem panè nominis inueniuntur.

*Ptolem lib. 2. c. 11.* Lugdunum Germaniæ urbem dixit, quæ hodiè Glogauia, vulgò *Glogau* dicitur.

Idem, Lugodunum Batauorum urbem in Gallia Belgica ponit, quam nunc vulgò Leydam nuncupant.

Itaque qui fortè Scriptores Pilatum Lugdunensem dixere, vel Germanum, vel Batauum dicere voluerunt, sed omiſſa litera *i*, vel *o*, librariorum vel ſciolorum, vel inſciolorum errore, pro Lugidunensis, vel Lugodunensis, ſcribi coepit Lugdunensis, unde pro Batauo, aut Germano, Gallus haberi coepit Pilatus.

Germanos certè, ferè vno eodemque tempore cum Gallis vicere Romani, & æquè tradi credique potuit Germano, ac ac Gallo.

Et Germani, hoc regendis Iudæis aptiores erant,

erant, quod ad Hebræam linguam ritè pronuntiandam, non solum Gallis, sed omnibus panè nationibus, sunt propensiores.

Et Germani, regendis recenter victis apertissimi, ab humanitate conſalutandi, quo genere officij mirè animi conciliantur, ipsis innatâ (unde & Germanos dictos putant, quod ritu gentis, Germanos, hoc est, fratres conſalutarent.)

Item à dignitate, ac maiestate corporum, quâ præſectorum quisque, ſubditis fit reuerendus.

Germani enim sunt proceris, pulchrisque corporibus & planè digni imperio, quod etiam nunc gerunt.

Papias ſcribit, Germanos dictos quasi immanes, ab immanitate nimirum corporum.

Egeſippo videntur Germani, magnitudine corporum, ac viſenda proceritate, cæteris omnibus Gentibus præſtare.

Et Germanus, eorum linguâ, idem quod totus vir.

Totum autem virum præfici Iudææ oportebat, ne diceret:---*dominamur ab vno*

*Vixque viro.* Vix: Ergo.

Batauum verò Lugodunensem ceu Leydanum,

danum, præfectum Hebræis dici, non incongruum; & quòd illi Germaniæ populi (quos nunc dixi fuisse idoneis ei Præfecturæ) & Bataui præterea (secundum Tacitum de situ Germaniæ) antiqui Romanorum socij, & exempti oneribus & collationibus, tantum in usum præliorum sepositi, velut tela atque arma bello reseruati (quos ideò truces adpellat Lucanus lib. I. Pharsal.) vnde & aptissimi, continendis recenter victis Hebræis.

Et planè trux, Batauosque truces spirans Pilati animus, Christum, quem sciuit innoxium, trucidantis.

---

*Conciliatio.*

\* SIC TAMEN cuncta conciliem.

\* 1. QVI ROMANVM aut Lugdunensem dixerunt, non indigenam dicere voluerunt, sed conscriptum ibi, vel ibi ciuem; Lugdunensem qui à ciuitatis Lugdunensis ciuis, è Romano Italouè, effectus, cum L. Munatius Plancus, vel (vt alij legunt) Numantius Plautius Rom. Proconsul Lugdunum, anno ante Christum natum 23. sub Cæsare Augusto extruxisset, & coloniam Romanam, aut Italam, immisisset: Romanum Verò, quia Lugduni Gallorū, vel Lugiduni Germanorum,

rum, vel Lugoduni Batauorum seu Leydæ Patre Italo vel Romano, illis in partibus forte militate, matre peregrina natus, Romam cum Patre Romano Italouè delatus, Romæ educatus, & ciuitate donatus fuit: aut ex Italo factus ciuis Rom. atque ita, idem Pilatus, & Romanus, & Italus, & Lugdunensis, quòd alibi natus, alibi ciuis.

Magni viri, ciuitatibus varijs donati: etiam ipse Alex. Magnus.

Et nuper Carolus Croyus, Dux Croyiæ & Archoti, Leodiensium ciuis solemnissimè a publica lætitia conscribi voluit.

Est facile, hinc nodos omnes argumentorum soluere.

---

*Responsio ad argumenta.*

\* AD 1. Nam Romanos ciuem Lugdunensem, Romæ aut in Italia natum, victis Hebræis præficere, extra periculum coniurationis fuit: & similiter ciuem Romanum, patre Romano aut Italo, natum Romæ semper educatum, & si Lugduni in militia natum, eisdem præfici, suspitione omni vacare potuit.

\* AD 2. & 3. Iudicasse autem more Romano, & crucifixisse, & Latine quoque crucis titulum fecisse, non Gallicè, nihil mirum in homine aut Italo, aut Romæ nato, aut  
saltem

saltem oriundo ac ciue, vti & Tiberius Claudius Cæsar, Lugduni natus, Romano patre.

\* AD 4. Denique: titulum Crucis Gallice poni, quid opus fuit cum Græcè esset? Nam Græcorum & Gallorum linguæ, affines valde & fere eedem: vt qui vnã norit, fere ambas nouerit.

Verba, phrasæque multæ, Gallis Græcisque communes. Vide Henricum Steph. de conformitate vtriusque linguæ, item Leonem Trippaultium Barðisy Dominum, in suo Etymologico vocabulorum Gallicorum, Aurelyjs excuso 1583.

Et, olim Gallos characteribus Græcis etiam vsos lego, & etiamnum Gallicã linguã, merus Gallogræcismus, seu, Trippaultio, Celt'-Hellenismus.

Strabo verò etiam nobis autor est, contractus Græcè scribere solitos olim Gallos.

C. Julius Cæsar lib. 6. commentor. refert Druidas fere in omni negotio publico priuatoque Græcis literis vsos, hoc tamen excepto, quòd nihil disciplinæ suæ literis mandare vellent. Verba Cæsaris hæc sunt: *Cum in reliquis fere rebus publicis priuatisque rationibus Græcis literis utantur.*

Adde

Adde Gallogræcos etiam populos memorari à Strabone ex Gallis Græcisque conflatos. *Strabo lib. 12.*

Nam cum Galli multitudine domi abundantes sedes suas reliquissent, Italiamque ferro flammaque immanissimè vexauissent, inde tandem Camilli ex exule Dictatoris virtute depulsi, non parua manu in Græciam Macedoniamque irruerunt: indeque Leonorio duce, Græcis quibusdam permisti in Asiam traiecerunt longè ante natum Christum, acceptisque à Bithyniæ Rege agris, ibi sedes fixerunt.

Itaque, Pilatus titulum Græcè scribens, non etiam Gallicè, linguæ patriæ Lugdunensi nihil derogauit, quæ scilicet aliquo modo Græcã continebatur, vt nucleus in nucè, & messis in femine,

\* AD 5. IAM, quòd, ab exilio probatum est, eum non fuisse Gallum, quòd in Patriam redire, non sit exulare: respondeo.

\* 1. EXILIVM esse, è ciuitate eijci ciuem iustoque ablegari. At sic Romã exclusus est Pilatus, postquam est à Maria Magdalena apud Tiberium accusatus.

Nam, Constantino Manasse teste, *quum rerum opifex (Christus) è sepulchro surrexisset, de quo locis inferis corpore suo sublatus in cælum esset:*

esset: *Maria Magdalena Romam usque currit* (mel. cucurrit) & *sceleratis illis* (Hebræis & Pilato) *accusatis, tantopere Tiberium ad iram commouit: ut omnes graui acerbâq. morte mul- taret.* Constant. Manasses in *Annalibus* Interprete Leuenclaio, miht pag. 53.

\* 2. Et, si patria est, vbicunque benè: exilium, vbicunque malè: profectò Romæ, Pilato meliùs, aut Ierosolymis, cum imperiraret fuit, quam Lugduni aut Viennæ, cum parèret inglorius: ideoque Lugdunum, tunc illi non patria, sed merum verumque exilium fuit.

\* AD 6. Denique, ex cognomine, quod illi à pilo, aut aliundè, ritu certè Romano adiectum habuit, Pilatum Romanum adferere, Gallum verò, aut Germanum, aut Baratum inficiari, leuiculum est:

Nam cuiuscunque is fuerit, fortè ciuis Romanus factus, Romanis, à quibus fuerat honoratus, ad blandiri hoc cognomento voluit, quasi adfectatè Romanus. Vel Pater ipse fortassis, siue Romanus siue Italus, illi adhuc

paruulo id cognomenti adfixit, Spuri-  
um suum hac Romanis in-  
sinuaturus.

*Cappi-*

*Captiuitio Intellectus Auctoris.*

Cæterum: Omnis hac (vti & cætera mea omnia) per me, Romano sub Iudice lis sit, id est, Ecclesiæ Rom. Pontifice,

Quia verò pilatus iste, ob scelus tantum, meritò omnibus ciuitatibus eiurandus, vt contra Homerus ob virtutes, septem ciuitatibus certatim est adoptatus: fortè ortûs eius tanta obscuritas est apud scriptores.

Et certè, si Lugdunum è tribus aliquod, genuit hoc monstri: meritò Lugodunum, aut Lugidunum aut Lugdunum veteres dixere, à luctu fortè, qui, ab hoc monstro, futurus præuidebatur.

Verùm, etsi probetur seu hic, seu ibi natus pilatus: ciues tamen nullam sceleris eius partem decerpunt, vt probro adficiantur, aut scelerosiores dicantur.

Vna hirundo non facit Ver.

Nec peccatum pilati, vt peccatum Adæ,  
vt natura, aut genstota, vi-  
tium trahat ab vnâ.  
personâ.

APPEN-



APPENDICES DE PILATI  
EXITV.

\* I. NARRATIO de Pilato ex Annalibus Delphinatis, ut aiebat M. S. Gallicum Sacerdotis, ac Concionatoris cuiusdam hominis non indocti, neque nullius naris; & regionum multarum lustratoris; nuper defuncti, Ord. Minorum Prou. nostre Flandriæ.

Latina facta à F. PHILIPPO  
BOSQUIERO.

**P**ILATUS in regione Allobrogum (alias Delphinatu) natus inter urbes Valentiam & Viennam; ubi domus (cuius facta recta ad perpetuam memoriam adcurantur) sita est; quæ Patris eius fuit, qui Regulus erat sub Romanorum potestate, postquam Gallias Iulius Cæsar debellasset: Romam à patre est destinatus, ut pœnas daret, Romanorum arbitrio, quod fratrem suum iustis nuptijs natum ipse spurcius interfecisset. Romani, cum eum ingenio acuto polere, valereq; audaciâ animaduertissent, in Pontum ablegarunt, ut eius regionis incolæ sub Romanum iugum, quod rebellionem excusserant, redigeret, quod & perfecit. Itaque Romanam reuersus, à Senatu Iudææ Procuratorem impetravit, secq; Ierosolymam venit.

Post Domini nostri mortem, exilio damnatus

bus est, ac Viennam Allobrogum (nunc Delphinatum) relegatus, urbem tunc celebrem valde, septem arcibus claram, ex quibus super sunt nunc duntaxat dua. Cumq; turri quadam, quâ Rhodanus alluit, inclusus esset, se præ indignatione ac desperatione, cultello ipse iugulauit, ipsaq; turris cum cadavere, una in Rhodanum currere, quo factum est, ut nauigia omnia, quæ Lugdunò (quod miliaribus à Viennâ quinque distungitur) per Rhodanum iter faciebant, naufragium tunc paterentur, cum locum illum præterirent, qui Pilati cadavere occupabatur.

Ceterum D. Paulus, cum Hispanias peteret, Viennam venit, & Euaristum discipulum suum creauit Episcopum Viennensem, qui populo nouissime ad fidem Catholicam conuerso orare, ieiunare triduum edixit, ut, quæ causa nauibus crearet pericula, resciretur. Ac, postquam Episcopo predicto est satisfactum, ab Angelo, quæ Episcopo ipsi adparuit, reuelatum est, accidere id, quod locus ille, ubi naues perire contingebat, Pilati cadavere occuparetur, quod ipsum mox emerit, & equore ac superficie fluminis fluctauit, ad ripamq; adtractum est.

Posthæc, Angelus currum merè ligneum, nullo ferro munitum, exstrui præcepit, & in illum cadaver extolli, curruiq; boves duos iuuen-

culos adiungi, sinique ambulare quod vellent, qui in excelsum montem, quinque miliaribus ab urbe distantem abierunt, Episcopo & populo consequentibus, ut viderent finem, quod cum boves peruenissent, in magnâ planitie constitērūt. Tūm Episcopus rursū populo precipere, orārent, ut, Deo reuelante, resciretur, quid esset de cadauere illo statuendum. Angelus Episcopo reuelauit, scrobem rotundam effodi oportere, in quam cadauer illud, rectum & stantis instar, infoderetur. Dicitum, factum, & subito Infernus cadauer absorpsit.

Et hactenus ibi lacus latus magnusque superest, fereque ad semiquadrantem miliarum, ardet ac succutitur terra, ebullientis arena instar. Sed & tempestates omnes, quæ vineas, & terræ fruges, demoliuntur, fere ab illo monte (qui vulgò mons Pilati nominatur) habent originem. Hæc ibi fidelissimâ versione.

Quam velim Annales ipsos Allobrogum ipse vidisse!

\* 2. EX HISTORIA ALIA GALLICA, cognomento Septennaria, ad annum 1604.

De Pilato, inquit, historia quedam extat Vienna Allobrogum, docens, ipsum esse in puteo, qui in turri Pilati est, unde exauditur, clamores mugitusque suos cadere.

\* 3. Ex

\* 3. EX IO. RAVISII TEXT. Officinâ tit. Mortem qui sibi varijs modis consciuerunt, &c.

Pontium Pilatum patriâ Lugdunensem, ferunt nefarie in Christum sententiæ meritas dedisse pœnas, sibi que mortem intulisse. Autor est Greg. Turonensis.

Tam tibi sit mitis Ponti Pilate, Megera,

Tamque tuæ moueant lacryma Plutona ferocem,

Quam merito perijt fato, te Iudice, CHRISTVS.

\* 4. EX EYSEBII CAESAR, hist. Eccles. lib. 2. c. 7.

Pilatus, qui in Salvatore iniqui Iudicis functus est officio, ysdem temporibus Caij, tantis ac talibus malorum cladibus cruciatus est, ut propriâ se manu transuerberans, nefariâ vitâ abiicisse referatur. Nec enim poterat tãti piaculi minister impunitus euadere. Sicut in historijs Græcorum reperimus, eorum dumtaxat, qui Olympiades scribunt, & annales rerum gestarum libros, ad posteritatis memoriam condunt.

Consentit Paulus Diaconus, lib. 7. Miscel.

Idem scribit Niceph. lib. 2. hist. c. 10. addēs, idem euenisse Annae, & Caiphæ, & Scribis,

C 2

& Pha-

& Pharifæis cæteris, qui seipfos occiderunt.

De Pilati nequitijs, infælicique exitu, vide, Lector, Petrum Messium c. 8. parte 2.

5. SVIDA E narrationem valdè reconditam iuuabit proferre, legere, & audire.

Suidas in Historicis, dictione ὕπερον. Nèd cum adhuc iuuenis esset, philosophis operam dabat, & de Christo quadam discebat. adhuc enim eum inter homines habitare putabat. sed cum à Iudæis crucifixum esse intellexisset, indignè tulit: mandauit q̄, ut venirent Sacerdotes Annas & Caiaphas & ipse Pilatus, qui tunc præfectus erat, ferro vinciti. & cum in Senatu consedisset, qua de illo acta essent, audiebat. Annas igitur & Caiaphas dicebant, se legibus obtemperantes, illum tradidisse, & læsæ Maiestatis, non esse reos, Prætozem enim potestate præditum, quæ voluisset, egisse. Nèro igitur indignatus, Pilatum in carcerem coniecit. Annam verò & Caiapham dimisit. Tum Simon quoque Magus florebat, & cum Petrus & Simon, præsentè Nerone, inter se disputarent: eductus est è carcere Pilatus. Hi tres cum astant, Nèro Simonem interrogat, Num tu es Christus? Ille verò se esse ait. Deinde & Petrum. Num ipse esset Christus? Ille negat. me enim, inquit, astante, in cælum sublatus est. Tum Pilatum rogat,

uter

uter horum esset is, qui Christus diceretur? Is verò. Neuter, inquit. nam Petrus quidem discipulus eius fuit, & apud me pro discipulo eius delatus, cum eum nescire se diceret quis homo esset, dimissus. Simon verò iste nequaquam mihi notus est, neque ullam habet cum illo similitudinem. Nam hic quidem & Ægyptius est, & corpulentus (\* ἐμπληθής) & densis capillis, & niger, omninoq̄ ab illius formâ alienus. Iratus igitur Imperator, Simoni quidem, quòd mentitus esset, se q̄ Christum esse dixisset: Petro autem, qui negasset magistrum: eos è concilio eiecit. Pilato verò caput amputauit, qui tantum, hominem iniussu Imperatoris interficere non dubitasset. Hæc ille ibi.

\* 6. ANTONIVS Dauroultius tom. i. Catech. Histor. Lat. c. i. tit. 31. exemplo 3. sic habet. Anno Christi Domini quadragesimo primo, Olympiade ducentesimâ quartâ, anno tertio, Pilatum olim Iudææ procuratorem miseranda morte interyisse scribit Eusebius his verbis, Pontius Pilatus in multas incidens calamitates, propria se manu interfecit, ut scribunt Romani Historici. Viennæ autem in Gallijs id contigisse cum multi referant, Ado eiusdem ciuitatis Episcopus sic habet: Pilatus qui sententiam damnationis in Christum dixerat, & ipse perpetuo exilio Viennæ recluditur: tantisq̄ ibi

irrogante Caio languoribus coarctatus est, ut sua se transuerberans, manus multorum malorum compendium mortis celeritate quaeserit. Citantur in marg. Euseb. in Chro. Ado in Chron. ex Orof. lib. 7. c. 5. apud Baron. tom. 1. an. 41. Greg. Turon. lib. 1. c. 24.

\* 7. LORINVS in Acta Apost. c. 3. vers. 13. & 14. De lacu qui dicitur Pilati ad Lucernam Helveticorum, prodigiosa narrantur, ut quod eum in ius coram Tiberio Magdalena vocauerit, ob iniquam contra Christum sententiam Sed & ridicula refert Gerson Summa Theolog. lib. 1. art. 4. que malim, si talibus delectaris, apud ipsammet legas. Plura de eodem Crinitus lib. 10. c. 5. l. 13. c. 3. Camperius 2. Theol. Orphi. Petrus Messias 2. var. lect. c. 18. Baronius to. 1. Annal. Suidas in Nerone. Nicephorus 2. hist. c. 10. Cedren. Comp. hist. Laziar. hist. vn. c. 12.

\* 8. LEGENDA aurea edit. F. Claudij a Rotâ S. Theol. Prof. Dominicani, tract. 51. qui est de Pass. Domini §. g. Tiberius Imp. Pilatum (Romæ) in carcerem recipi iussit, donec Sapientum consilio deliberaret, quid de eo fieri oporteret. Data est igitur in Pilatum sententia, ut morte turpissima damnetur. Audies hoc Pilatus cultello proprio se nocauit, & tali morte vitam finivit. Cognita Cesar morte Pilati, dixit: Verè mortuus est morte turpissima.

ma, cui manus propria non pepercit Mola igitur ingenti alligatur, & in Tyberim fluvium immergitur. Spiritus verò maligni & sordidi corpore maligno & sordido congaudentes, & nunc in aquis, nunc in aere rapientes, mirabiles inundationes in aquis mouebant, & fulgura, tempestates, tonitrua, & grandines in aere terribiliter generabant, ita ut cuncti timore horribili ternerentur. Quapropter Romani eum à Tyberis fluvio extrahentes, derisionis causa ipsum Viennam deportauerunt, & Rhodano fluvio immerserunt. Vienna enim dicitur, quasi via gehennæ, quia erat tunc locus maledictionis: vel potius dicitur Bienna, eo quòd, ut dicitur, biennio sit constructa. Sed ibi nequam Spiritus non desuerunt, ibidem eadem operantes. Homines ergò illi tantam infestationem demonum non ferentes, vas illud maledictionis à se remouerunt, & illud sepeliendum Iosanna ciuitatis territorio commiserunt. Qui cum nimis praefatis infestationibus grauaretur, ipsum à se remouerunt, & in quodam puteo motibus circumsepto immerserunt, ubi adhuc, relatione quorundam, quaedam diabolica machinationes ebullire videntur. Hæc ibi exhibitioria quadam, ut vocat, apocryphâ. Et subditur ibid. censura huiusmodi. Quæ utrum recitata sit Lectoris arbitrio relinquatur, inquit.

\* AT QVO modo, inquit aliquis, verum erit, quod Historici sanè non pauci, neque

contemnendi, memorant eum exilio damnatum, hi Viennæ, illi Lugduni, vt superiùs ostendi.

\* RESPONDERI potest: Pilatum bis fuisse accusatum, apud Tyberium.

\* j. AIVDAEIS: ac primò quidem Tyrannidis & violentiæ, ob innoxiorum interfectionem.

\* 2. IMPIETATIS: ob Imagines profanas templo illatas, reclamante totâ gente Iudæorum.

3. REPETVNDARVM; ob pecuniam facram, è Carbonâ & Gazophylacio templi, interuersam in suos vsus, aquæ ductum scilicet domesticum &c.

Itaque potuisse primo Tyberij decreto, exilio damnari, & verè seu Viennam, seu Lugdunum, venisse, aut deportatum fuisse.

\* ij. A PRIVATIS aliquot, à Magdale-nâ: vt super, habes ex Constantino Manasfic.

A Volusiano & Veronicâ, de Christo eius iniquissima sententiâ in crucem acto, quem, auditâ famâ curationum eius, Tyberius ipse tunc æger, medicum suum futurum iusserat, per Volusianum, Ierosolyma Romam, adduci,

duci, credens adhuc superstitem, quem iam Pilatus crucifixerat.

Itaque Tyberium tunc iratiorem, altero decreto voluisse, Pilatum ab exilio ad se Romam adduci, poenas ibi dignas daturum tantæ iniustitiæ: ac sic eundem & exulem alibi & Romæ quoque, captivum illum esse potuisse, ibidemque malè perire.

\* 9. SEBASTIANVS Barradius tomo 4. in concordiam Euang. lib. 7. cap. 5. fol. 192. col. 2. in fine. *Ipsum*, inquit, *Pilatum conuersum, & vitam æternam consequutum videtur significare Augustinus, serm. 3. de Epiphania his verbis: Magi ab Oriente, Pilatus ab Occidente venerat, unde Magi dixerunt: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Oriente Christo: Pilatus cum scripsit in titulo Crucis: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum, Occidenti adtestabatur Regi Iudæorum, vt cum Abraham, Isaac, & Iacob recumberent in regno Cælorum, non ex eis propagati per carnem, sed eis inserti per fidem. Tertullianus Apolog. 2. Ea, inquit, omnia super Christo, Pilatus & ipse iam pro sua Conscientia Christianus, Casari tunc Tyberio nuntiavit &c. Sed tenuis hæc est tantæ rei commemoratio. Sic ibi Barrad.*

Quomodò? conuersum, & vitam æternam consequutum Pilatum!

At omnes penè scriptores adfirmant, Pilatum suâ ipsius manu perisse.

Ergone desperantibus, & sic in Spiritum sanctum peccantibus, salutem æternam promittat D. Augustinus, tantus alibi hostis cædis sui ipsius?

\* 1. SED EGO Barradio imposuisse puto malam relationem verbi (*recumberent*) in Augustino. Retulit enim ad Pilatum & ad Magos, quod non ad ipsos, sed ad populos Orientis & Occidentis, qui testimonijs, hi Pilati, illi Magorum, eruditi, fidem in Christum receperunt, & facti sunt consortes Abraham, Isaac, & Iacob, non Pilatus ipse. Non enim quodcumque verum & bonum de Christo testimonium sufficit ad salutem. Alioqui enim & Caiphas saluus esset, qui dixit: *Expedit, ut unus moriatur &c.*

\* 2. DEINDE illa Tertulliani verba (*Pilatus & ipse iam pro sua conscientia Christianus*) non dicunt, Pilatum verè & plenè Christianum, aut baptizatum, sed benè sentientem dumtaxat, & benè loquentem de Christi personâ, iuxta quæ viderat & audierat, ita cogente eum conscientia.

\* 3. UT PLURIMUM; dicunt intus Christianum, non foris, metu aut pudore hominum. At quis nescit, *ore confessionem fieri debere ad salutem.*

Et

Et: *qui Christum coram hominibus erubuerit, erubescens etiam se Christum experturum?*

Ergo non videtur benè intulisse Barradius.

\* 3. DENIQUE: ut Christianus fuerit Pilatus; plenè, publicè, imò & baptizatus, instar omnium nostrum: non tamen saluus putandus ob eadem sui: sicut nec quisquam nostrum, si sic desperaret, sicut nec Iudas ipse, non solùm ante Christianus, sed etiam Apostolus.

FINIS.

